

Letter 45a: 28 May 1520, Frankfurt, Johannes Cochlaeus to Capito

This previously unknown letter is in the Bayerische Staatsbibliothek, Munich, under “Autograph Cochlaeus” (no shelf mark).

S.P. Nihil mihi iucundius longo iam tempore accidit, clarissime Capito, tuis licet breviusculis ad me literis. Faxit Deus, ut eiusmodi affectionis initio consuetudinis progressus dulciter cum augmento respondeat. Ego recte me humanitati tuae offero ad quaevis familiaritatis obsequia. Non ignoro, mi Capito, quam sim tua indignus amicitia, utpote omnibus et naturae et fortunae virtutumque dotibus te longe inferior. Sed quod pro tua humanitate ultro mihi offers, non rusticus modo, sed et stupidus stipesque plane forem, nisi cupidissime amplecterer. Omnem vere daturus sum operam, ne tuae in me te pigeat humanitatis. Vidi nuper grammaticam tuam Hebraicam, legi cupide, emere tamen distuli propter tertium quem promittebas librum, utile nimium ac necessarium, maxime quod Io. Reuchlin Vocabularii rarescunt exemplaria. Portavi mecum ex Urbe nonnulla Hebraeorum, si tibi sit videndi ocium, libens aliquando transmittam. Ego aliis occupatus, ea posthabeo eo lubentius, quod oculis meis gravior est eiusmodi lectio. De factionibus monachorum quid velis non satis intelligo. Videtur Lutherus iam non fratribus modo, sed etiam Pontifici totique Christianorum orbi satis negotii praestare, pugnandoque praeire. Vereor tamen, ne tantam molem solus diu sustinere non possit. Prudentius agit Erasmus, qui maiorem fructum cum minori tumultu invidiaque profert. Quid de Hutteno sentias aliquando intelligam, non puto enim tibi ignotum esse, cum istic frequentissime agat, quamquam ex operibus iamdudum ignotus tibi esse non potest. Si quando tecum est, rogo nomine meo virum nobilissimum benigne salutes. Transactionem Reuchlianam hic nuper tantam [?] credo te illumque iam dudum intellexisse. Sin minus, fac intelligam, ut plane describam. Nam testis affui. Bene vale. Ex Franckfordia, 28 Maii Anno MDXX.

Io. Cochlaeus